

1571

liguntur, qui majores scloppos collimantes in hostes displo-  
derent: horum dimidia pars alternatim e muris in vineis Tur-  
cas contrucidabat, ingentemque stragem edebat. Sed ut mi-  
lites in protectoriis aggeribus tuto consisterent, in universo  
eo tractu, quem hostes occupaverant, in summo mœnium  
cœspite parvum aggerem in duorum pedum altitudinem, ac  
paulo majorem latitudinem, frequentibus distinctum forami-  
nibus erigi placuit, ex quibus absque metu globuli jaceren-  
tur. Quatuor quoque elaboratis arte ignibus præficiuntur,  
singulis viceni milites tribuuntur, qui & opportune ignem  
accendere, & longius ejaculari assuecerent. Viginti quinque  
pilarum millia, pars ferro, pars ære, quædam e vitro con-  
fectæ; lebetes quoque, phialæ, cycli, atque alia jaciendorum  
ignium instrumenta in id parata aderant. Ad faucios quoque,  
atque ægros excipiendos nosocomium erectum, omnibusque ad  
sanitatem necessariis instructum est. Tormentorum major, ac  
præcipua pars in mœnibus e regione hostium constituta. Foi-  
to equiti, tormentorum præfecto, in pugna defuncto, Aloy-  
sius Martinengius sufficitur, qui, sex militum præfectis objecta  
hostibus mœnia in singulos partitis muneribus, libratoribus-  
que constitutis, tutanda dedit.

*Tamassien-  
sum seduli-  
sas in igni-  
bus elabo-  
randis.*

*Foitus  
equus tor-  
mentorum  
præfectus  
interfici-  
tur.*

*Aloysius  
Martinen-  
gius Foito  
sufficitur.  
Turca ad  
fossæ labrū  
pervenit.*

*Tamassien-  
ses Turcas  
aggrediunt-  
ur, com-  
plices in-  
terficiunt.*

Jam tormenta in munitionibus hostes disposuerant, multi-  
plicatisque aggeribus, sub jactum lapidis ad fossæ labrum per-  
venerant; cum propugnatoribus petentibus, ut antequam val-  
lo penitus cingerentur, virtutis ac fortitudinis periculum fa-  
cere liceret, egressus permittitur. Quinto kal. junii ex græco  
peditatu trecenti delecti, quos juvenilis ardor in hostem  
acrius incendebat, cum valida Italarum manu, fossæ præsi-  
dio ducentis scloppettariis relictis, ab ea parte, qua navalia  
sita sunt, rariorefque ac minus propinqui aggeres erant, im-  
provise e tecta via emicant, atque magno in munitiones im-  
petu feruntur; hastis, gladiis, contis sæviunt; hostes proster-  
nunt, præcipientes agunt: tantumque vincendi spe subnixi se  
se inferebant, ut, qua densior subvenientium hostium acies  
erat, irrumperent. Atrox ac cruentum certamen initur, gla-  
diis, ac saxis res geritur. A nostris initio victoria stare vi-  
debatur, cum præsertim, Italis scloppettariis supervenientibus,  
turbati hostes nihil ex disciplina militari agerent. Ceterum

cum